



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

XI. Qui in conflictu vbi homines interfecti sunt, lapides proiecit: si
neminem percußit, potest in ordine tolerari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

dum, quod si forte non fuerit a te, vel aliquo archidiaconorum vel prælatorum tuorum sub interminatione anathematis prohibitus, tu ipse in promotione ipsius ad officium sacerdotale, condigna satisfactione, nisi aliqua impediant, imposita, pro tuo arbitrio dispenses. Si vero interminatio anathematis super hoc facta est, commoneas eum, sicut nos fecimus, vt in aliquo monasterio seu canonia habitum suscipiat regularem: cui iuxta admonitionem tuam, ex quo in habitu illo fuerit aliquanto tempore laudabiliter conuersatus, poteris misericorditer prouidere: Alioquin nulla ratione concedimus eum ad sacerdotalem ordinem promoueri.

CAP. X. *Idem eidem.*

Clerici autem si qui a suis, aut etiam de mandato Romani pontificis, ab alienis episcopis interdicti vel excommunicati, ante absolutionem diuina officia celebrarint, nisi ad commonitionem * vestram sine dilatione redierint, *notum perpetuæ depositionis sententiam pro ausu tantæ temeritatis incurrant.

CAP. XI. *Idem Lucensi episcopo, & eius capitulo.*

Præsentium lator in quodam conflictu asserit se fuisse, pro parte tamen illorum qui violentiam repellebant, in quo lapides ipse proiecit, sed aliquem non percussit: quem nos, quia per alios illic aliqui dicuntur occisi, a celebratione Missarum præcipimus abstinere. Mandamus itaque vobis, vt si res ita se habuerit, & alia causa non impedit, decurso huius temporis spatio, ad sui eum executionem officii admittatis.

CAP. XII. *Idem * archiepiscopo * Cusentino.*

Continebatur in literis, quas tua nobis deuotio destinauit, quod diaconus præsentium lator, & quidam clerici qui rogati ad vineas ecclesiæ putandas perrexerint: & cum circa vespertas opere consummato redierint, leuandi laboris gratia quemdam ludum imitati sunt viatorum, proiicientes baculos suos in longinquum: studebant enim in directum iacere, & alter alterius fustem ferire. Huius autem ludi, sicut asserunt, talis conditio est, vt qui alterius

bacu-